



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Nucleus Casuum Conscientiæ Sive Brevis Notitia Eorum
quæ scitu vel necessaria, vel valde vtilia sunt
Confessarijs in primo ingressu ad audiendas Confessiones**

Agostini, Giuseppe

Coloniae Agripp., 1644

De 4. Præcepto Decal.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41767

sed solum per aliquam denominationem extrinsecam, aut coexistentiam ad res sacras, quas Christianus tenetur in die festo exercere: & ita non est eadem ratio.

11. Circa hoc præceptum potest dispensare Episcopus respectu huius, vel illius sibi subditi: & Superiores Religionum respectu suorum subditorum ad quod non est necessaria euidens causa, sed sufficit probabilis, aut etiam dubia.

12. Præterea ex consilio, & concordia debent Christiani diebus festis maximè vacare rebus spiritualibus, & Verbo Dei. De sanctificatione dierum festorum agunt *Suar. de Relig. tom. 1. lib. 2. Azor. tom. 2. lib. 1. Filliac. tom. 1. tract. 17. Tolèz. lib. 4. cap. 24.*

DE IV. PRÆCEPTO Decalogi.

Honorandi Parentes.

Filij tenentur sub mortali subuenire parentibus in graui, aut extrema necessitate corporali, aut spirituali
quan

quantum possunt. Tenentur etiam sub mortali, dum sunt sub patria potestate, illis obedire circa res domesticas, aut pertinentes ad suam educationem, in rebus grauibus, & maioris momenti: in alijs venialiter peccant, si non obediant. Si graue aliquod illis damnum in persona inferunt; peccant mortaliter, & debent explicare circumstantiam prædictam. Item si irrationabiliter illos grauiter contristent, si contemnant, si blasphement, aut iniuria afficiant deliberatè, & voluntariè, si odio habeant; peccant iuxta qualitatem materiae: & hoc peccatum est contra pietatem debitam parentibus. Ducere vxorem indignam contra Patris voluntatem; est mortale: interdum etiam erit mortale nolle ducere vxorem dignam, quam parentes offerunt, propter aliquod magnum bonum, quod ex tali Matrimonio oriretur, posito quod filius habeat animum ducendi vxorem. Non tenentur filij obedire parentibus in rebus malis, aut consilijs diuinis contrarijs.

2. Tenentur è cõtra parentes educare

K 4 filios,

filios, præbendo alimenta, & instruere ad bonos mores, & curare, quantum in ipsis est, ut seruent mandata Dei; & Ecclesiæ, & discant necessaria ad Fidem. *Lege Filliæ. tom. 2. tract. 28. par. 2. cap. 1. Et 2. Bonac. tom. 2. disp. 6. q. unica. Tolet. lib. 5. initio.*

3. Ad hoc præceptum reducitur Observantia, quæ debetur Superioribus temporalibus, & spiritualibus: tenentur enim subditi, etiam in foro conscientia, & sub mortali, observare leges iustas, si sint in materia graui, iudicio Prudentis, & non sint merè pœnales: tunc enim solum tenentur ad pœnam subeundam post sententiam Iudicis: si verò sit paruitas materiae, aut leges sint de re nõ graui: tenentur sub veniali. Quæ omnia intelligenda sunt, quando materia legis, alioqui ex se non est sub aliquo alio præcepto naturali: tunc enim ex se potest esse graue peccatum contra legem: vel leue, iuxta qualitatem materiae. At verò quantum est ex vi legis humanae; seruanda sunt, quæ diximus. Similiter non esset peccatum, saltem mortale, si quis transgredietur legem, etiam in re graui,

gravi, quando Legislator non vult obligare sub peccato. si aliàs illa transgressio non esset peccatum ex se.

4. Nolle obedire legi humanæ, etiã in re minima, si fiat ex gravi contemptu Legislatoris, est mortale: non autem si fiat ex leui contemptu, aut inconsideratione, aut iracundia. *Lege Suar. de legib. tom. 3. cap. 21. & sequent. Azor. tom. 1. lib. 5.*

5. Tenentur etiam Christiani obedire Prælaris spiritualibus, & Episcopis: & iuxta qualitatem præcepti, & rei, quæ præcipitur, potest esse transgressio mortalis, vel venialis. Contemnere autem Prælatos, graue peccatum est.

De Denunciacionibus faciendis.

6. **A**D obedientiam debitam Prælati pertinent denunciaciones, quæ in duplici casu cõmuniter fieri solent. Primus est, quando Episcopus iubet sub pœna excommunicationis reuelari scripturas, aut res deperditas, vel ablatas, &c. de quibus *Trident. sess. 4. ca. 4. de Reformat.* Secundus est, cum denuncianda sunt occulta crimina, præsertim

K § Inqui-